CORONIS
TENCYNIANI NOMINIS
longè florentissimi
ILL^MA V·ISABELLA
ANDREÆ COMITIS
IN TENCYN
PALATINI CRACOVIEN·
FILIA

Quæ vnica suis Cognominibus superstes
demùm concessit fatis
Vt vltima Nomini Illustrissimo accederet

CORONA.

è supremis cineribus collecta, &
ILLVSTRISSIMIS DD.
D· IOANNI NICOLAO
DE ZVROW
DANIŁOWICZ
SVPREMO REGNI THESAVRARIO, &c.

AC

D. SOPHIÆ DE TENCYN,
CONIVGIBVS,
Patronis meritissimis
deuotissime oblata
à Collegio Lublinen. Societ. IESV

Anno à partu Virginis M. DC. XLV. XVIII Kalend. Decemb.

[1]

In die illa erit Dominus Exercituum

CORONA
GLORIÆ
ET
SERTVM
EXVLTATIONIS

Residuo Populi sui

Is. 28.

ILLVSTRISSIMIS DD.

D. IOANNI NICOLAO

DE ZVROW

DANIŁOWICZ

SVPREMO REGNI THESAVRARIO,

PRÆMISLIENSI, SAMBORIENSI, &c.

CAPITANEO,

AC

D. SOPHIÆ DE TENCYN

SVÆ CELSITVDINIS CONIVGI

DD. ac Patronis meritiſſimis.

LVctum mærentium, ac dolorem ſocietate nonnihil leuari, facilè crederetis ipſi, niſi tot inter luctus communis vtriq; veſtrûm dolor docuiſſet hoc ipſum quidquid eſt ſolatij, doloris incrementum eſſe. Habet hoc non rarò diuiſio doloris, vt quantum alteri mæroris malo alterius accedit, tantundem eò redeat, vnde videbatur deceſſiſſe, ac veluti refuſis magno impetu fluctibus noui fluctus iterum irruant in priores. Neq; enim minus dolere poteſt, cui de alterius dolore nouus dolor inſuper accedit, eò; acerbior quò magis dolore alterius, quàm ſuo, dolendum eſt. Hæc mutua dolorum incrementa Veſtris in animis legimus non verborum blandâ oſtentatione, ſed ſoli-

dis

dis ac longè pretiosissimis argumentis expressa. Quanquam vt hæc deessent, diceret sincerus ille inter ambos amor, quantum ambo doleatis. Proprium hunc vni Tibi dolorem velles, Illustrissima Domina, ac si hoc tantum posses, faceres leuiorem: sed Te Illustrissime Domine Tuus inoptatissimam coniugem affectus impellit in dolorem, eò vehementius, quòd amanti cum dolente dolendum sit. Dicerem ipsum hunc dolorem Tuum Tibi dulcem esse quod in subsidium amantis accedat; nisi Tu Illustrissima Domina Illustrissimi Coniugis Tecum, ac Tuá causá dolentis luctum, Tuum iterum faceres, adeoq; si qua est, doloris voluptatem nouá Tui amaritudine mœroris perturbares. Ita dubius etiam certandum Vobis est dolore dicam, an amore? dum plura inter funera eò magis crescere luctum oportebit, quò plus in vtroq; sensus est è sensu alterius mærentis. Nos, qui Illustrissimæ Virginis ISABELLÆ mortem lacrymis potiùs Vobiscum prosequimur, quàm oratione, accedimus dolori Vestro, atq; in societatem lachrymarum, ac luctûs venimus eâ lege, quam nobis Vestra in nos promerita ac beneficia imponunt. Dolentibus expendimus obsequia dolorum, quod debemus: vt doloris nostri sensu Vester iterum augeatur, id verò tantùm abest, vt velimus, vt leuare etiam vellemus, nisi grauior sanè esset, quàm vt possit à nobis leuari.

Illustrissimarum Celsitud. Vestrarum

Humillimis obsequiis deuotissimum

Collegium Lublinen. Soc. Iesv.

HYMEN
CORONATÆ VIRGINITATI
Et Beatæ Æternitatis annulo, Cœlo desponsatæ
AD BVSTA
ISABELLÆ DE TENCYN
DECANTATVS.

QVæ lætiori Musa serenior
Vatem fatigat numine? quæ noua
Cogit reluctantem dolorem
Ad Cytharam Dea nuptialem?
Quis luctuosam frangere tibiam
Iubet Thalassus? me quis Hymen nouâ
Myrto coronat? lugubremque
Temporibus remouet Cupressum?
Feliciorum Numina temporum
Arcete lusus, cùm lacrymis ioci
Et cùm parentali tumultu
Non benè conueniunt Camænæ.
Tot inter orbæ funera Lechiæ,
Deflenda totis funera seculis,
Tot inter occasus necesq;
Et decorum Patriæ inter vrnas,
Amæniori quis thalamo locus?
Quis lacrymarum temperet imbribus?
TENCYNIANVM cùm seuera
Lechiacis Libitina nomen

Furata

Furata terris. Occidit occidit
Sidus Polonum. Nominis vltima
Tanti superstes, patriumq;
Occubuit decus ISABELLA.
At concitati pectoris impetus
Me rursus vrget, tristibus abripit
Buxum sepulchris, næniarum
Musa iubet procul ire lessus
Attolor altê non sinè numine
Phœbi Parentis, turrigeras super
Moles, & altas nubium ædes
Ac rapidas Aquilonis Arces:
Quâ bracteati semita sideris
In alta ducit pergama, & igneas
Sedes Tonantis, qua beatæ
Itur ad aurea tecta templi
Æternitatis, qua viridantibus
Perennè campis Sponsus inambulat
Chorisque stipatus, nitentes,
Virgineis, salit inter hortos
Auditis? an me fallit inanibus
Auster susurris? atria personant,
Stellata plausu, dulcibusque
Astra choris modulata cantum.
Clamant Thalassum, vocibus intonat
Æther canoris, tota choraulibus
Lætis resultant regna, totus
Clamat, Hymen, thalamis Olympus,
Phœbus repexâ splendidior comâ
Accendit auro sidera clarior
Festâque frontem luce flammans
Purpureo iubar addit ori.
Formosa lætis cælicolum domnis
Ludit choreis, astra citatior
Cursus fatigat, gratulantis
Cæruleum per inane mundi

Dies

Dies ſerenat clarior æthera
Maiore Phœbo templa micantibus
Fulsêre ſtellis, ampliores
Emicuit polus inter ignes
Arrexit aures dulce canentibus
Excita plectris ſideris orbita
Formidoloſi, cùm ISABELLA
Inuehitur noua Sponſa cœlo,
Plausêre totis ſidera collibus
Lyraſque cœlum mouit eburneas
Choriq́ue pennati Phalangum
Virgineas cecinêre laudes
Hîc liliati pectoris aureum
Æquat pudorem carmine, hîc igneis
Ardere flammantem medullis
Cæligenam modulatur ignem,
At ille longâ laude modeſtiam
Decurrit oris, nec tacito ſilent
Laudare fortunæ repulſam
Cùm thalamis,noua plectra cantu.
Cœli colonum pectus, & inclytus
Candor refertur, blandaq́ue comitas
Gratoq́ue maieſtas decoro
Et placidi ſine nube vultus
Nec illa quondam dexterâ egentium
Altrix tacetur. Stat cuneis cohors
Diſtincta, prætenſiſq́ue latè
Enumerat pia dona palmis.
Palam videri dulce canentibus
Celata virtus incipit, & nouis
Laudatur aſtrorum Camænis
Cui latuit inter ante mentis
Sic inter Agmen dulce ſtrepentium
Itur beatæ lucis in atria
Æternitatis quâ reuectas
Ducit iter placidum ſub ædes

Vbi

Vbi gelati marmore fluminis
Erecta ſurgunt tecta palatiis
Vbi nitentis plena gemmæ
Pulchra fuit aſarota pictis
Ludunt figuris, è laquearibus
Stillat coralli copia penduli,
Calcatur aurum, defluique
Fundit apex pretium metalli.
Aeterna Sancto gloria lumine
Vbi Colonûm præmia ſoſpitat
Vbi perennis lux beatos
Perpetuat ſine nube ſoles
Huc itur. O quæ me noua pronubo
Perſtringit auro lux quis in obuio
Progreſſus ille curru, & omnes
Cœligenum præit ore luces
Ceu cùm ſerenis Heſperus aureo
Dux præit ortu ſideribus, comâ
Vultuque ſtellas comptiori
Emicuit iubar inter omnes;
Hîc ille Sponſus flammaque Virginum
Cui pulchra ludit purpura candidis
Infuſa labris, cui benigno
Igne comam populatur aurum,
I perge tanto lux noua ſiderum
Beata Sponſo, iam benè pronubum,
Aeternitatis circulatæ
Indigitat tibi Sponſus aurum,
I perge toto iam tibi ſæcula
Cœlo perennat Gloria: iam Tuos
Inſcribit ISABELLA faſtos
Perpetuis Hymenæus aſtris.

CORONIS
TENCYNII NOMINIS
ISABELLA
TENCYNIA
PALATINIS CRACOVIENSIS
DIGNITATE GENERIS, ET AVITO EX HONORIBVS DOMESTICIS SPLENDORE SVAQ; INPRIMIS VIRTVTE LONGE ILLVSTRISSIMA.

ISABELLÆ Virgini luctu veriùs, quàm officio funeris parentamus.

Manibus date lilia plenis,
Purpureos spargam flores,

atq; hanc animam ipsis candidiorem lilijs, & Virginitatis roseo flore an pudore? rubescentem

his saltem accumulem donis, & fungar inani
munere.

NAm quid emortuum hunc florem, vel inter lilia, ac purpureos rosarum flores posse reflorescere Patriæ, Genti Illustrissimæ, nobis omnibus sperem aut polliceat? At enim florem deciduum alienis saltem floribus cùm reuiuiscere non possit, decet florescere, aut ijs, si quam halare vitam possunt, animari ad luctum. Has Tibi inferias ferimus, hæc Tibi iusta soluimus lacrymarum, luctu Te ISABELLA TENCYNIA & gemitu extremùm valere jubemus. Quantum in hoc vno nomine ruinarum! Heu magnum TENCYNIORVM nomen hic denique concidisti! Hoc insuper florentissimo nomini debebatur, vt non aliam coronidem haberet, quàm florem. vel

vel si quibus denique fatis ageretur ad occasum, aut in flore occideret, aut occasu transiret in florem. Neque hæc inaudita sæculis, atq; orbi metamorphosis; sed quæ audiri solùm potuit, cùm videri non posset, theatrum non aliud nacta quàm ingeniorum. Narcissum ac Hyacinthum cùm degere inter homines desijssent, in flores euasisse cognomines fabulosum est: vero id sanè verius TENCYNIOS Heroës cùm florentissimi nominis pulcherrimam appellationem deniq; transfudissent in Virginem, effloruisse in florem nisi aliud quam flos videri Virgo possit, aut quidquam sit florentius Virginitate. Communis ea est scilicet gloria Virginitati, atque ex hoc illustri cætu cui tantæ laudis possessio inprimis cara est, nulla non audijt;

Vt flos in septis qui clausus nascitur hortis

Pulcherrimum verò Hortum vidimus Ill^mam^ Comitum à TENCYN Domum, cui plurimum debemus, quòd Patriam florentissimam habeamus. Fecit ea hactenus a primis Poloniæ incunabulis continua non minùs egregiè factorum, quam sanguinis successione, ac profusione, vt ne dubitemus quibusnam in terris

Nascantur flores inscripti nomina Regum,

aut propè Regum quòd Heroum. Quanquam ne hanc quoq; gloriam maiorem TENCYNII nominis fortunâ posteritas crederet, meruit Gentis Ill^mæ^ Virtus, & dignitas, ne impares Regnis ac Regibus TENCINII haberentur. Adsciti ad thalamos Regales, & Regnorum candidati propè est, vt aut regnarent ipsi, aut Reges procrearent. Superesse tanti nominis sanguinem, ac virtutem, & aliò in Ill^mas^ commigrasse Domos vnum istud denique solatium nobis est, totique Poloniæ, ac pænè orbi, neque illud volentes nolentesuè cogimur lugubri voce Deum compellare.

Occidit, occideritq; sinas cum nomine Troia:

luctuosa nihilominùs vniuersis est tanti nominis iactura, atq; hoc inter clades, & damna Patriæ censetur Poloniam nomen TENCYNIVM amisisse. Præclaram enimuero imaginem pulcherrimarum

pulcherrimarum virtutum amisit, quarum singula exempla eò mirabilius Dei artificis admiranda Sapientia collegerat, quòd in vnam ac Virginem. Et sensit hactenus Polonia TENCYNII nominis Illustrissimam gloriam, ac velut tot insignium virtutum vmbram, (veriùs imaginem) non minùs sibi præsidio fuisse, quam olim prætensa vrbi, ac propugnaculis, & obiecta Demetrio a Rhodiis imago, insigne opus Protogenis, profuerit Ciuibus ad salutem. Vixêre Illustrissimi Heroes, vt Patria viueret, & tot sæculis quot ipsa numerat, sapientiâ, virtute, atq; obiectu corporum Poloniam tutati, famâ etiam tantum potuêre, vt in hoc tam Illustri nomine suam Polonia meritò amaret salutem, & incolumitatem. Heu tristem tanti pignoris iacturam, & acerbam nominis immortalis mortem! Quanquam vt hoc triste sit, & acerbum, magnas spes, & vberrimam felicitatis segetem, amissione vnius nominis concidisse, Patriæ inprimis ea est calamitas, nobis omnibus communis: TENCYNIIS longè est pulcherrimum inter sanguinis heredes ac virtutis vltimam cognominem TENCYNIAM Virginem fuisse, vt nemo non agnoscat certissimo Virginitatis testimonio, illibatam, semperq; Virginem TENCYNIORVM gloriam fuisse. Credent olim posteri, quod nos meminimus, ac vidimus, amplissimi huius nominis consortes certâ ac integerrimâ possessione laudum omnium à primo sui ortu semper floruisse, quorum ipse occasus Virgineum in florem exierit. Hic sanè oportuit TENCYNIORVM nomen terris eripi, cùm vna denique TENCYNIA superesset Virgo, quæ vt TENCYNIORVM gloriam relinqueret terris virginem, ita Religionem virginem nunquam perfidiæ commercio, aut nouitiis vitiatam erroribus, inferret Cœlo. Neque hanc credimus magni Sanguinis esse cladem TENCYNIOS in censu mortalium deesse; quòd Virginitas quæ supra vsum est mortalium heredes malit Cœlo, quam terris inscribi. Quod Soli astrorum principi est solenne, id TENCYNIO nomini accidit, dum ab vsu, & consuetudine mortalium, commigraret ad immortalitatem. Magnam ille communis rerum pater vere ineunte exorsus viam summa fastigia cœlorum transcendit, neque

neque illustris magis, quàm propitius affulget Vniuerso, ac simul luce illustrissimâ, simul tantâ fæcunditate rerum implet subiectum orbem, quanta terris, aquis, & aére continetur: ac vbi alia magni Orbis spatia emensus, atque Agnum sidereum hîc omninò mansuetissimum, inde Bouem robore prævalidum ac Leonem, aliaque mundi altioris illustria nomina præuectus, cùm primùm eam attigit stationem, quæ cœlestis est Virginis, inde maximus rerum parens sterilescit, neq; aut herbis flores, aut folia deinceps ac frondes arboribus, aut quidquid demùm syluis, atque agris nitet, terris mærentibus affundit. Tanta est Soli etiam cælesti reuerentia Virginitatis, cùm accessu sui luminis aspexit erubescentem inter sidera; aut tantæ æmulatione gloriæ erubuit & ipse fæcunditatem suam, cui præreptam honoris palmam virginitas toti cœlo præferret. Mortuum ac extinctum diceres argumento sterilitatis, nisi radios euibraret, & illustri lumine testaretur immortalitatem, quam & occasui suo rediuiuam seruat, aut effundit potiùs, dum terris iterum iterumque redux, omnibus illustrissimus affulget. Hic TANCINII nominis cursus fuit; ne fas sit dubitare Solem alium Polono affulsisse orbi, cùm primùm Gens *Illustrissima* simul genere, ac sanguine simul immortalium virtutum, meritorumque gloriâ Poloniæ illuxit. Crescere is etiam dedidicit, cùm longo sæculorum, fatorumque ductu, eò tandem deuenisset, vbi singularis Virginitas certam fixerat stationem. Honorem habitum Virginitati credam, aut Domum *Illustrissimam* non aliam suo nomini addere voluisse, quàm quæ adeò à communi semota est consuetudine hominum, coronidem Virginitatis. Supremum tanti nominis ornamentum corona est, vno inprimis laudatissimo contexta pulcherrimæ Virginatis flore. Cœlestis & illa est, quòd cælestibus suppar, & cognata; hîc verò præcipuè, vbi velut altero in cœlo tot aliæ emicant illustres dignitate sanguinis, opibus, & honoribus virtutes; vt inter sidera Virginitas videri posset, errantia sæpè alibi, hîc fixa. Aliud demùm Tibi Virgo *Illustrissima* cœlum debebatur, quod vt illustrior adires, magni sanguinis dignitatem, & honorum

diuturnam

diuturnam lucem, splendore virtutum longè illustrissimo, illustriorem effecisti; neque aut his tantùm gloriæ ornamentis, aut annis maturior, quàm meritis, humanæ felicitatis vsum, an contemptum dicam? melioribus sæculis commutasti. At nos hîc Te animis, ac propè oculis ferimus, atque in Te miramur, quod longa posteritas meritò admiretur, summa in Te hæc omnia: Genus, Fortunam, honores, ac virtutem probitatemq;. In censu felicitatis est eo nasci genere, quod illustres à proauis atauisque maiores longâ serie recenset, aut eam sortiri natalem domum, cui propitia fortuna amplas opes, honoresq; indulsit: humana ea equidem felicitas est, ac mortalium propria, aut veriùs aliena, quòd ab alijs tradita accepta uè: propria iure suo censeri debet, si virtutis studijs, quæ quòd cœlestia, vera sunt decora, illustriùs augeatur. Talem Te meminimus ISABELLA, talem ex oculis sublatam lugemus: propè est, vt queramur nisi Tu singularibus probitatis meritis effecisses, vt existimemus felicitatis humanæ lucem Tibi ad meliorem illuxisse felicitatem. Quid hic iam de hac ipsa, quam cultissimam & ornatissimam virtutibus voluisti, tuâ felicitate loquar? aut quid potiùs non loquar? cùm nihil adeò videam, quod taceri possit, aut ne parcè nimiùm dixerim, quod non laudari plurimùm debeat, prædicarique. Equestri genere prognatam dicam; magnum istud sanè est, seu auitæ testimonium virtutis, seu priuilegium honorum, gloriæq; seminarium; sed Ordini nobilissimo commune: dicam Senatorij sanguinis heredem; pulcherrimum id verò decus Equestris nominis & honoris incrementum, sed non ita tuum vt ne plurimi in consortium tantæ laudis veniant: antiquitatem sanguinis TENCYNII per auos proauosq; ducam; illustre sanè felicitatis argumentum est, posse ordine ætatum ac numero redire ad origines maiorum; neq; hanc TENCYNII gloriam ita sibi vendicant, vt propriam fecerint: colligam honorum fasces, ac per omnes titulos ducam TENCYNIOS Heroës; id verò rarissimum æquè est ac pulcherrimum, in vna honores omnes domo; sed quæcunq; ea est gloria, vt maxima sit, admisit socios & consortes, vt deesse non

possit,

possit, qui domi suæ natam hanc miretur felicitatem. Illud vestrum est TENCYNII Heròës quod ad huius nominis heredem vltimam transmisistis, incunabula vestri sanguinis ad incunabula Patriæ referre, neque auorum tantùm, atque atauorum sæculis, sed primis Poloni nominis exordijs, vetustissimam generis claritudinem metiri: Vestrum est Senatorij nominis dignitatem ita propriam fecisse, vt nemo tanta in serie censeatur alio quàm Senatore patre natus, nemo honoribus maturus, alius mortuus quàm Senator: Vestrum est non solùm omnium honorum fasces in Illustrissimam Domum collegisse, verùm etiam toties ac propè simul omnes, non tam reduces, fortunâ reuertente, quam domesticos & vernas constanti felicitatis vsu iis in manibus, atque humeris vidisse, quos honoribus ferendis virtus gentilitia inter incunabula instruxisse videtur. Atq; hæc tametsi sæpè videremus, magnitudine tamen suâ efficerent, vt ea miraremur; vt eò illustriora in TENCYNIIS videri iure debeant, quòd rarissima sint. Felix profectò ille tantæ tamque admirandæ Domus, aut veriùs gloriæ faber atque architectus fuit, qui non tàm gentilitio nomini ac posteris, quàm felicitati continuæ Gentis, ac honori, fortunâ propè incredibili, apud posteros sedem posuit æternam. Vidimus ac meminimus egregiam authoris in posteris virtutem, neque Illustrissimæ Domui artifices ac fabri, magnæ vtique fortunæ, ac gloriæ defuêre vnquam, qui tantam huius ædificij magnitudinem gloriâ ac præclarè factis cœlo propè æquarent. Hic Tibi ISABELLA iam inde à tot sæculis, hîc virtuti Tuæ diuino consilio sedes parabatur; vt illustriùs habitaret, vbi eam tot gentilitia decora circumstarent, aut ipsa tot decoribus meliorem lucem affunderes cœlo ipsi admirandam. Illustrior equidem Tua virtus affulsit Genti Illustrissimæ, amicis, nobis omnibus, quòd in purpura; quàm scilicet longa series auorum triumphali sanguine maximisque purpurati ordinis honoribus fecisset. Candorem Virginitatis Tuæ ita erubescentem gratissimum fecisti cœlo, cui longè iucundissimum sit spectaculum pudor purpuratus. Quanquam Tu non vnam hanc duntaxat domesti-

cà

câ purpurâ virtutem induisti, cùm non vnam hanc in te admiremur: tot scilicet miramur quot par magno generi adeoq; magnus animus in consortium suorum decorum vocauit. Virginitati comites addidisti, ne olei cœlestis vacua, repentinâ sponsi venientis occupata voce, solam lampadem præferres. Fuisset hæc sola etiam in Te laudatissima, quæ nobilissimos dedignata procos, alium admiserit neminem quàm qui præstaret dotem, non cuperet, pacisci connubia solitus Regno omnium maximo, quòd cœlesti, neque mortalitatis legibus fidem fæderum adstringeret, sed immortalitate, aut nuptialibus gaudiis & tædis alium definiret finem, quam æternitatem. Hic etiam fecisti, vt Te è numero prudentum crederemus, quæ eam inter Sponsos optionem feceris, vt optares solum, qui optimus est. Euge Virginitatis Sponse, non sola hic Tibi desponsa Virginitas est, si tot sponsas annumeres, quot Virginitatis consortio, virtutes accessêre. Quidquid in his gratiarum est, in dote numerasti, quam cœlo ac perennitati voluisti inscriptam. Sterilitatem ea sola Virginitas patitur, quæ fatuarum est Virginum: prudentes, ne inuideant fecunditatem nuptiis, fecundæ & ipsæ sunt, tot prolium, quot virtutum, atque omnis probitatis. Florem hunc sine fructu dixit, qui sine aliarum virtutum commercio Virginitatem vidit aut nesciit Virginitatem ipsam & fructum, & florem esse. Ficulneam hanc olim (moram planè ac desipientem) fuisse memini, quæ vitio dederit non tam rosæ quam Virginitati roseæ solam floris pulchritudinem & inanem vt aiebat formam; quasi ea sit inanis pulchritudo, quæ, quod Rosa roseo Cyrilli ore dixit, non alium fructum habeat à flore: Sed abundè insuper est fructuum Virginitati Tuæ Isabella, quos vt securior inferres cœlo, neque Virginitatem alijs incomitatam virtutibus, neque has sine Virginei pudoris, ac pudicitiæ singularis præsidio apud Te esse voluisti. Prudentiam dico, Modestiam, Demissionem, iuxta ac magnitudinem animi, humanissimam erga alios Comitatem, eximiam Pietatem in Superos, propensissimam in egentes Liberalitatem, aliaq; sexcenta. Quanta verò hæc tàm exiguo verborum ambitu comprehensa! Tam facilè tot laudum

segetem

ſegetem collectam velim, quàm facilè illa facere potuit, vt eas mereretur. Diceres ex vſu Virginum ſedulò egiſſe, vt formam impenſiùs curaret, eam verò duntaxat ſolam, quæ animam exornat cœlo placitura. Omnia hic exculta ad ſpeculum, quod vnum ſine macula eſt, Sapientiæ cæleſtis. Neque hic illi tum primùm labor, cùm maturior æui ætas, Virtuti quoq; maturior formæ alterius negligens, ſerò ſaltem meminit, mundum animi potiorem eſſe; à prima pueritia talem ſe præſtitit, qualem non niſi Virginem mori oportebat, ne iniuriam pateretur virtus, ſi cultum tàm nobilem alio quam Virginis in ſinu ſera mors reperiſſet. Et erat cur è nobiliſſimis Procorum admitteret neminem ad connubij neceſſitudines ſæpè expetita, quòd ſolam quæ pulcherrima eſt, neceſſitudinem virtutis ac virginitatis iure optimo cæteris anteferret. Parem in ea agnoſceres vbique magnitudinem generis ac probitatis, neque vnquam commiſiſſe dixeris, vt eam inferiorem vellet, cui ſemper cætera omnia ſubmiſit, ad eam primùm curam multò attentiſſima, ne minor probitatis laude quàm ſanguinis dignitate eſſet. Atque hanc tam raram ac ſingularem laudem adeò ſibi fecerat propriam, vt incertum faceret, pluſne in ea à virtute genus, quàm virtus à genere caperet ornamenti. Sola moderatio animi & acclinis fortunæ omni propenſio beneuolentiæ inferior videretur, niſi hoc inprimis maior fuerit, quòd ad omnes deſcenderet humanitate. Ipſi quoq; generis dignitati pretium ab hoc pondere acceſſit, neque ita ſe illa celſitudo demittere beneuolentiæ facilitate potuit, vt altiùs humaniſſima non aſcenderet demiſſione. Quæ magnarum inprimis mentium eſt virtus, quantum immemor iniuriæ, tantum memor officij præſtitit, vt quam ipſa gratiam nulli diui debere vellet, eam nemo non cuperet diu a ſe deberi; aut potiùs ſemper debere voluit, quòd ſemel accepiſſet, eò digniùs æris alieni, nominumque rea, quòd in hoc certamine officij ac gratiæ nunquam vinci vellet. Profuſam pæne dicerem liberalitatem, quæ tàm facile, tàm latè exundabat, niſi & hæc attemperata magnitudini animi fuiſſet. Fontem iis in manibus vidiſſes, qui quantùm magnitudine ſtagni vinceretur, tantùm perennitate vinceret, tàm ſecurus ſui, quàm lar-

gus.

gus. Testata originem beneficientiá est, quæ tam liberalis oriri ab eo tantùm fonte possit, qui ab altissimis, aquarumq; vberrimis montibus descendit. Neque aut vitæ ratio, aut fortunæ stitit liberalitatem, nunquam venis non succedentibus vnde afflueret beneficentiæ eluuioni. Thesaurum deniq; aquarum, flumen verè aureum, atque illas venas sibi affluentes sensit, quæ pari munificentiâ ac magnificentiâ, longè, lateque exundant: Adeò semper affuit liberalitati vnde suæ potiùs magnitudinis quam tenuitatis alienæ vota, sitim veriùs, facillimè expleret. Dicite vos, quotquot fontem experti estis, anne, vt exaruit, sensistis siccitatem? an existimem potiùs hoc vno exarescente, geminos vobis ex oculis fontes erupisse? Ah falsos, & amaros fontes, & ipsa siccitate tristiores! At enim fontem abeuntem vndis prosequi oportet, & parentari fonti nonnisi aquis decet, eò quidem amarioribus, quòd parentandum sit dulciori fonti. Neque tamen defluet lacrymis illius dexteræ beneficentia, quòd eam non magis manibus ac oculis infuderit liberalitate, quam suauissima facilitate impresserit animis, non vna sanè gutta lapideas etiam mentes excauante. Profusam benignitatis laudem vicit egregiâ in Superos pietate, quam vt illis solùm testatam cognitamque vellet, facere equidem non potuit vt lateret. Testor sacrum Virginitati penetrale, geminarum inprimis hostiarum conscium, quarum altera perennis est Virginitatis, altera Religionis prope etiam perennis. Ignem hic perpetuum vidisses, cælestem certè ac Diuinum, qui animi non tam aleretur integritate, quàm perpetuò aleret, seruaretque integritatem. Quid prudentiam agendi, quid parsimoniam verborum dicam? Virorum illa plurimis præreptam Virgini laudem vendicauit: hæc semper Virginem testata est, tunc etiam cùm annis æquaret matres; aut matrem potiùs, quòd exemplo modestiæ singularis, infunderet alijs animam ac vitam probitatis. Quid plura? Imaginem fecisti sæculis ISABELLA eximiæ virtutis, vt hoc ipsum TENCZYNIO nomini gloriosissimum sit Tuarum denique Virtutum coronide longè pulcherrima coronari. Hæc illa singularis forma est Heroicæ Virginis,

animi

animi non oculorum iudicio ſpeculoq; exculta, quæ vno collegerit complexu, tot elegantias & formas, quarum ſingulares laudes communes ſibi eſſe voluit, in hoc vno ſingularis, quòd effecerit, ne plurium exempla in vna deeſſent. Fuit hoc virtuti datum, vt Aſpaſiæ modeſtia placeret, *Liuiæ* prudentia, Sulpitiæ maieſtas, Patientia Corneliæ, verecundia Lucretiæ, Porciæ conſtantia, diligentia Tanaquilis, Plotinæ frugalitas, aliaque id genus decora in aliis laudarentur; ſingula hæc vt in ISABELLA eſſent laudabiliora, meruit magnus ille animus, cui parum fuerit ſingula imitatione conſequi, niſi in poſſeſſionem omnium veniſſet. Quanquam Conſtantias ego ac Pulcherias, Cunegundes, Salomeas, (domeſtica lumina) Mechtildes, Agnetes, aliaque melioribus ſæculis illuſtriſſima nomina, ceſſiſſe illius exemplis malim, quorum imitatione eò ſimiliorem ſe iis præſtitit, quòd certioribus virtutis ſimulacris præluxerint ipſius laudatiſſimæ probitati. Ceſsêre in eius laudes pulcherrima plurium ornamenta, vt Collegium virtutum feciſſe videretur ſeipſam. Adeò ne Zeuxis ipſe, ſi redux iterum ac rediuiuus terris formæ iterum ſpecimen penicillo fingeret, quinque iterum Virgines, quod ſemel fecerat, operis exemplo vellet, ſed hanc vnam; quòd in vna hac repererit facilè pulcherrimas quinque Virgines ac prudentes. Animam illam loquor tot decorum capacem, quæ vt alijs coloribus quàm virtutis ornari non poteſt, ita non aliam ſui ſpeciem ac formam relinquit. quàm quæ magnitudine virtutum continetur. Impreſſa hæc veſtris eſt animis, quibus antea familiarior fuiſſet, adeoque viuam etiamnum propè in oculis habetis memoriâ virtutis. Tuum hoc præcipuè ſpectaculum eſt, adeoque Tuus inprimis dolor Illuſtriſſima DANILOVICIA, cui vt viua magis recordatio præſentem exhibet, quam amiſſam luges, ita languentem mærore animum magis animat ad luctum, Filiam Te hîc ſentis, quòd Matrem potiùs. quàm Patris ſororem noueris, experta materni nominis in ea ſuauitatem, in qua Patrem etiam propè viuum ſpectabas. Plures in ea ſola collectos ferebas amores diuturno in hac vna Patris ac Matris vſu; ſcilicet vt plùs amiſſione

missione vnius doleres. Propè est vt plùs vni soli debueris, quæ gemina parentum officia erga te subijerit: at grauiùs expendi à Te oportere debita geminæ pietatis sentis. Crescunt verò insuper hæc in Te nomina Tuâ pietate, quæ vt Te omnia debere Isabellæ sentias, vnum inprimis debere vis, hanc ipsam pietatem. Diuiso in paterna, maternaque iura pronissimo affectu Neptim Te etiam meministi, plus ideò debitura; & tametsi quidquid natura eras, videbaris dedisse pietati; refundit nihilominùs & illa, quod vltra debeas, ne minùs ipsa Tibi obligata videaris, quàm Te obligatam velis. Tua hæc voluntaria sunt vincula, & compedes Tui in amantissimam cognatam amoris; certè non alibi facilè locum habitura, quàm in Tuo affectu. Crediderim virtutem illam & hoc meruisse, vt cognatam Te haberet; ne quid felicitati illius deesset, cui omnis humana felicitas prolusit ad æternam. An potiùs Tuæ id felicitati tribuendum putem, quòd posses refundere pietate, quod officio acceperas? Nam & hoc ad clementiam fortunæ non minùs pertinet, posse, quod debeas, referre, quam virtuti tribuendum est, cum minus debueris, maximè debere voluisse. Mihi verò videor videre certatum inter vos & ante officijs maternis; nisi quòd materna su dici nolles, quæ Matri expenderes. Satis est fuisse, licet dici ac videri nolles, neque minùs cogitares quidquam, quam vt amantissimo pectori matrem reponeres pro matre. Dicam Tua etiam modestiâ inuita; id verò a me exigente hâc tanta pietate Tua; dicam Te denique vicisse, quæ cùm diu iam ante officia pietatis desiderari, a Te nulla patereris, nunc etiam omnia exoluis. vt incredibilia viderentur, nisi viderentur à nobis, aut porro narrarentur de Te. Nam & Alterum Te dico Illustrissimum Tuum Coniugem, qui in iura caritatis Tuæ ita volens transijt, vt, quod Viri inprimis virtutem decet, ad hæc Tibi officia præeuntem Tu ipsa libentissimè fatearis. Non minùs Te hic Coniugem præstas erga Coniugem Illustrissime Domine, cui luctus socios impendis; quam alteri Filium; plùs etiam, ne quid minùs Tua munificentiâ insigni dixerim. Patrem Te nunc etiam sentit Isabella, qui paternâ planè liberalitate, omnia Filij erga matrem nomina vicisti. *Ita in*

partem

partem luctus cum Illustrissima Coniuge venisti, vt luctum Tuum facias, eò pretiosius, quòd aureæ Tuæ lacrymæ meritò videri debeant. Alia nimirum, quàm auri pretia Tibi cariora sunt semper, virtutis, pietatis, liberalitatis, magnificentiæ; illius inquam, quæ Tibi soli, aut inter paucos, Tibi propria est. Hac Tu demum omnia erga ISABELLAM officia coronas; hæc non tam auro argentoue, quam memoriæ sæculorum inscribis & æternitati. Meministi Coronidem TENCINII nominis ISABELLAM Virginem fuisse, & apud Te, Tuisque propè è manibus supremam huic nomini accessisse hanc

CORONAM.



Illustre semper
TENCYNIORVM
NOMEN
In ISABELLA
DE TENCYN
VLTIMA SVI COGNOMINIS
HEREDE CORONATVM,
Ad Perennem Vitam Revocatvr.

ERgone tantæ Nomina Gloriæ
Impunè Sceptris inuida Lechicis
Delebit ætas? nullus è tot
Funeribus veniet Paternæ
Virtutis Heres? nemo superstitem
Successor vltra sæcula Gloriam
Extendet æuo? tam decoro
Sanguine, promeritisque partam?
Heu illa pacis Nomina Lechicæ
Tot vincta lauris, totq; Othomanicis
Cantata mundo cladibus, tot
Russiacis celebrata bellis.
Heu illa pulchris lumina purpuris
Sancti Senatus, tot radiantibus
Astris Honorum, dignitatum
Tot titulis decorata, Letum

Extinguet

Extinguet vmbris! ô malè prouida
Ætas Polono! prodigialium
Denuntiatrix ominum, orbe
Cum remoues data signa pacis.
O nulla magnis fida fauoribus
Sors, nulla regnis. subruit inclyta
Furax vetustas sceptra, & altis
E soliis trahit impotentes
Ad busta Reges; nulla minacibus
Armis potestas, nulla salus Lydis
Redempta Gazis, purpurarum
Nullus honos tenet obstinatam
In fata dextram. Discite posteri
Ceras Parentum, claraq; Stemmata,
Aurum, & coronas, & superba
In tumulos abitura sceptra.
Gaudent Potentum fata Palatiis
In busta versis, & diademate
Superba Clotho, muricatâ
Cæde tumet sua tela tingi.
At si qua nostro viuida Numini
Concessa Virtus, nunc animosius
Assurge Clio, nunc sonorâ
Maior ades Cytharâ dolori,
Obliuioso surripe funeri
TENCYNIANI Nomina sanguinis,
Assurge plectro fortiori
Phœbe nouos modulatus Ortus.
Virtus sepulchri nescia squalidi
Viuit superstes. Vana quid inuides
Frustra Polono Heredem? & ingens
In Cineres Libitina sæuis?
Vindex suorum tuta Bipennibus
Virtus perennat, fallor! an ictibus
Pensantur ictus? & sepulchris
Ipsa suis tumulata Clotho.

Vincit

Vincit Bipennis. Surgite Marmora
Fastigiatis edita Collibus
Molesq; victrices triumphis,
Sarcophagos redimite Lauri
Interminatos Sidera Lechiæ
Vobis futuri temporis Arbiter
Describit annos, nulla Vestris
Emeritis positura Metam
Succedet ætas, iam super aureum
Plenumq; pulchri Nominis essedum
Toto volaturis resedit
Fama solo, niueumq; laxat
Lorum quadrigis, nubibus annuit
Æther supinis, terga Curulibus
Reclinat Eurus, fæderatá
Cum Borea sociatus irâ.
Iam sacra Phæbo Culmina Cynthij
Pulsantur auro, iam Rhodopes iuga
Quassata cedunt, iam Cytheron
Et patulâ nemorosa pinu
Idæ grauantur brachia, & obuiam
Æmus salutat, quâ Dea præpetes
Agit iugales laureato
Astra tonant peragrata Curru.
Vterq; vestro Nomine personat
Orbis, remotas Indus & Artace
Arrexit aures, concaniq;
Laudibus accinuere Vestris
Tyras & Hebrus. Viuite Viuite
Dixêre Musæ, quæ super Aonis
Sedere Parnassum, relictâ
Æde, sacri laris, euocatæ,
O magna Lechi viuite lumina,
TENCYNIANÆ non reuolubili
Virtutis æuo viue seros
Semper honor nouus in Nepotes.

Vestro

Vestro repensam sanguine gloriam
Loquemur Orbi, Vos nouus Orpheo
Sudor futuri, bellicosis
Nostra Chelys tenuanda factis.
Seu quos bisulcæ gloria laureæ
Vittata sacris induit Infulis
Quos vinculato pectoralis
Ambit honor pretiosus auro.
Seu quos togatæ pacis in otio
Fecêre Magnos Vota Senatui
Dicemus Orbi; quando Vestris
Consilijs stetit orbis vnus.
Seu quos Gradiui puluere nobiles
Sensit Gelonus, quosq; Borysthenes
Expauit vndis, decolori
Non semel erubuitq; vultu,
Seu cum citatum bella super Tyram
Seu per reluctantum agmina Bistonum
Seu per recedentes Corallos
Impauidis ageretis armis.
Viuetis ergò quos super intulit
Virtus polorum sedibus inclyta
Quos fama Maiorumq; Ceræ
Quos pietas memor eloquetur:
Vos Isabellæ cingit adorea
E liliatis pectoris integri
Collecta campis, illa vestris
Nominibus decus & Coronis.
Absiste Cloris Collige lilia
Aspersa bustis, cingere nil opus
Manes Coronis, fasciata
Virginitas sua quos Coronat.

SEPVLCHRALIA
Illustrissimæ Vriginis
ISABELLÆ
DE TENCYN
ELOGIA

I.

QVæcunque immortalitas post fata morti eripit mortales,
hanc suæ morti superstitem fecit,
dum viueret,
ISABELLA de TENCYN
ANDREÆ Comitis in TENCYN Palatini Cracouien.
ex genere Filia,
Fatis ranti nominis heres vltima
Virginitate comes Agni cælestis ac Sponsa.
Thalamus è tumulo
cælestem Hymenæum expectat,
vbi CHRISTO Virginitas,
& integræ mentis candor Æternitati nubit.
Secures Comitum a TENCYN Consulares
(quia semper Senatorias)
non alij deniq; hic fasces ambiunt,
quàm qui prodeunt
Virginitatis niueæ lilietis.
Martiis hactenus ab Heroibus TENCINIIS coronatas
Herois vltimò coronat
laudatissimâ Virginitatis gloria
ne corona a sexu aliena esset.

Armatam

Armatam hanc etiam Heroidem diceres
non tam Securibus Paternis à terra,
quàm à Cœlo armis.
Pietatis illi, ac modestiæ singularis arma,
quibus vincere potuit, quod inprimis victu est difficile,
Seipsâ ac sexu fortior;
Fortunam, nullis non lenocinijs;
à genere, opibus, gloria
blandientem.
Innoxia inter hæc LX exegit annos,
docuitque laureas iterum in Palatijs enasci
bono omine imperij,
melioris, quia cælestis.
Potiorem Regibus præferri solito,
ignem illa sibi prætulit:
regnatura cœlo;
quem virtutibus accendit.
ne obscura inter sepulcrales vmbras,
non accensâ lampade
Sponsi vocem euocantis audiret.
Heu fata!
Quid non inuidistis terris, nisi dedissetis Cœlo?
Luctum hunc perennem
His tabulis inscribit
SOPHIA de TENCYN
IOAN. NICOLAI de ZVROW DANILOWICZ
Supremi Regni Thesaurarij
Coniux dolentissima.
ISABELLÆ neptim ex Fratre fecerat natura & genus
nisi metamorphosim amoris mutui vtraq; sensisset,
Vt illa affectu mater,
Hæc esset pietate FILIA.

II.

NE inter prodigia deinceps esset
Magna virtus in magna fortuna
fecit
nouo sed diuturno exemplo,
ISABELLA
ANDREÆ Comitis in TENCYN Palatini Cracouien.
Filia
tot annis laudatissima,
quot vixit.
Vt non alio, à prima infantia, innutrita lacte videretur
quàm virtutis.
Hæc illa lactea Cœli via est,
quâ ad Superos contendit,
dum viueret,
Supra Virginitatis laudem,
Vndique innoxia animo, candidaque
Callem virtuti fecit,
quæ tàm diu, tàm laudata vixit.
Vt illustrior alijs esset ad virtutem via
illustriorem à sanguine prætulit virtutis facem.
Sponso ideò gratior, sed cælesti.
Magnis inprimis mentibus exemplar rarum,
In quo cum genere ac fortuna, æqua virtus
maior etiam,
quòd Cœlo carior,
& in hoc iniqua solùm,
quòd magnitudinem humanæ felicitatis superauerit
hoc excessu, qui cœlo suppar est,
probitatis, pietatisq;
Adeò huc virtus omnes suas opes contulit
Vt thesaurum in ea crederes posuisse.
Ah!
tristem thesauri iacturam!
Hunc affectu Filiæ

Cum

Cum animo ſimul ac oculis tuliſſet
dum licuit,
hîc demum depoſuit
Neptis ex Fratre mœrentiſſima
SOPHIA de TENCYN
Coniux IOAN. NICOLAI de ZVROW DANILOWICZ
Supremi Regni Theſaurarij, &c.
Theſauraria hîc comprimis,
Vbi condi voluit
quod cariſſimum habuit,
alterum ſui cordis theſaurum.
Ambo Coniuges
hoc ſimul tumulo corda condidêre:
Vt & illa hic eſſent
Vbi amborum eſt
theſaurus.



III.

NOn occasurum fatis
TENCYNIANÆ virtutis Solem,
quem
Polona Aquila,
Inuicti nominis huius Heroum
Martium experta robur,
Spectauit in LEONE
Tu demum obserua Viator
In signo VIRGINIS
ISABELLÆ de TENCYN
Quæ
Honorum iuxta, ac Religionis integritate Virginem
Maiorum pro sapiam
Angelicâ affinitate auctam
constans Paterni nominis ad tumulum heres
feliciter clausit:
Optimam rata excelsi coronidem nominis
vicinam cœlitibus virtutem.
Natale Comitissiæ decus
ab interitu vt vindicaret
vitâ functa meliore commutauit.
Prudens enim illibati candore animi Ouis
Cœlesti sese comitem præbuit Agno
quocunq; ierit:
A comitatu præeuntis Dei æternum non reditura
in præmium Virginitatis,
quæ semel amissa redit nunquam.
Vel ipso paternæ ASCIÆ indicio,
inuicta sanctioris notæ Amazon,
Beatorum Regnum
arduo innocentis vitæ instituto
Violenta rapuit:
Infame cœlo diuitum nomen
admirabili solertiâ
Verè vna de numero prudentum

sibi

[15]

sibi redididit gloriosum,
cùm amplissimum Superorum Regnum
cui soluendo plurimi Cræsi non sunt pares,
venale fecit,
assiduis pænè largitionibus
in miseros clientes.
Digna quæ raro gemini honoris prædicetur compendio
VIRGO & MATER
Filij hominis;
quem toties in pauperibus parentis vice
fouit, & honorauit.
Artis secura, vocalibus Sponsi quò interesset choris
Superum aures socio mulcens cantu,
prælusit serio in terris virtutum coucentu:
Suauissimæ harmoniæ
ad numeros virtutis consonam addens operum manum.
Nec priùs desiit, sic canere, quàm viuere
Candidus Olor
Subuectus in Astra
Salis probitatis.
Illustres Animæ TENCYNII,
qui còelo propè iam omnes asserti,
vestram olim Poloniam
in còeli permutastis coloniam;
eâ demum Honoris accessione
felices perennate;
quòd Nomen vestrum semper Illustrissimum,
ISABELLA VIRGO
Regis Cœlorum Sponsa
Fecerit Serenissimum.

IV. Audi

I V.

AVdi posteritas
Viuam sepulchri vocem,
magna, opus est, loquatur
quod semper mutum silet;
Te vnam
ISABELLA TENCINIA
aut
In vna plurimas
quòd parem plurimis,
Etiam huic fortunam meliorem in casses impulisse diceres
omnia:
Genus, Honores, opes
ac primùm
Probitatem
demum (nec vana opinio sit) ciuitatem cælestem
nam & hæc Timothea est,
re quidem, non nomine
cui primas inter opes erat
HONOR DEI.
Idea probitatis
fingi alia non potest animo
quam quæ ipsa verè fuerit
Cunegundes imitata
Virginem se testata est
non ardenti ferro,
Sed auro,
in diuitiis Principum Sponsorum calcato
Calcauit & ardentes prunas
quin nuptias
Virgo Dianæ puriori sacra
Pulchræ vt Luna
Aurea & ipsa auro indigentibus
Supra sexum illi robur humanissimæ comitatis
quâ neminem non catenauit
nouus in alio sexu Hercules

amore

[16]

amore Virtutis
nisi quod; PLVS VLTRA viderit
alium nempè orbem
quem quæsiit
& ipsa orbi alteri quæsita;
Nam & Cœlo auaritia est
magnæ virtutis.
Et meritò sideribus accesserit
Hæc etiam VIRGO,
LEONI tàm vicina hic
quam proximum in terris habuit
domesticum, inter Aquilas & Secures Leonem
regni inter sidera potioris signa.
Expensa sua sibi merita cælesti LIBRA
propè iàm lætatur.
At defleri nihilominus ereptam terris, fas est,
quæ flendum in vita nil egerit,
Sed ne facilè arescere solitæ lachrymæ
hic exarescerent,
Suas his tabulis inscriptas voluère
Coniuges | mærentissimi
IOAN. NICOLAVS de Zurow DANILOVICZ Supr. Regni Thesau.
& SOPHIA de TENCYN
dolentissima eius morte
quàm viuam semper voluisset
propè Matrem suam
quin Sororem Patris
Patris æquè ac Matris orbitate
Vtrumque.